



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LIV. Differentia 11. Iure Canonico hæres tenetur ex delicto defuncti, licèt  
ad eum nihil devenerit delicto defuncti,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

LIV.

DIFFERENTIA II.

Iure Canonico heres tenetur ex delicto defuncti, licet ad eum nihil deveniret ex delicto defuncti, c. fin. de sepult. c. In literis, de rapt. secus Iure civili: l. n. C. Ex delicto defuncti, l. In heredem, ff. de calumn. Bartol. 178. Galvan. 12. Canis. 27.

I. Quia sacrorum Canonum finis & scopus est animarum pericula avertere, & salutem procurare, heredes astringit ad satisfaciendum pro damnis injuste illatis per antecessores. Cum enim illorum bona acceperint commodo suo, convenit illa, quae injuste comparata sunt, dominis suis restituere. Covarr. l. 3. var. c. 3. n. 8. Navarr. c. 15. n. 25. & c. 18. n. 6. Silv. v. Hæred. III. n. 6. Andr. Gail. l. 1. de pace publ. c. 20. n. 21.  
Nec omnino Jus civile dissonat, quamvis enim non permittat litem moveri à quocumque damnum passio, ne plus æquo heres infestetur, nihilominus, quia contractus naturaliter ad hæredes transeunt, l. Ex depositi, l. Ex contractibus, ff. de oblig. & action. si quid in illis delictum sit, actionem læso indulget ad recuperandum sibi erepta: ut actionem furtivam quoque, quæ ad hæredem, licet nihil ex furto pereceperit, transit, l. Si pro furto, ff. de condit. furtiva. Similiter, quando lis ob causam delicti antea cum defuncto contestata est, l. un. C. de perpet. & temporal. act. Farinac. in praxi crimin. l. 1. q. 10. n. 60. cum aliis DD. quos magno numero citat.  
II. Nota I. quod de solvendis debitis

defuncti ex contractu, vel quasi contractu, dictum est, extendi ad illos quoque, qui non veri heredes, sed hæredum loco sunt, & in bonis succedunt, qualis est executor universalis hereditatis, qui bona defuncti in opera pia distribuere debet. Item usufructuarius universalis: pater quoque, qui jure peculii occupat bona defuncti. Monasterium occupans bona religiosi, cui propter professionem incapaci succedit denique sitcus occupans bona confiscata propter delictum, vel bona vacantia decedentis ab intestato sine alio hærede. Cardin. Lego diss. 24. sect. 8. n. 23. Tenentur hi ad omnia illa solvenda, ad quæ defunctus tenebatur, non excipiendo ipsos principes, & Imperatorem ipsum. Omnes enim antecessorum suorum justis pactis, & conventionibus obligantur. Boer. decis. 204. n. 41.  
Nota 2. Propter delicta patroni, advocati, vel Vice-Domini vindicantium sibi plus in Ecclesiis, quam jura permittunt, cumque occidunt prælatum Ecclesiæ, etiam aliis pœnis eorum posteror, & heredes affici, c. In quibusd. 12. de pœn. Decian. l. 2. c. 22. n. 22. & 33.

Antinomia.

I LV. DIF-



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN